

33 feriatis in honorem Dei, absque intermissione, atque sine praxi feriarum ætillarum, siue aliarum legalium, in contradictorio Advocatorum, & Procuratorum Partium, cum bene regulato ordine listarum, ut quilibet sciat suum locum, tam de mane, quã de sero, audit causas duorum ex Notarijs Tribunalis, iuxta statutas dies inter eos distributas, in magno numero, adeòvt casus quandoque præbeat, ut vna die discutiantur quinquaginta, & ultra, causæ, inter quas plures grauiiores esse solent; Istaque informatione expleta, ab eorum singulis, cum maiori labore, maiorisque applicationis necessitate; tenetur ad diem citationum, omnium Notariorum Tribunalis cum contradictorijs Procuratorum, vel sollicitatorum, eorumque magno strepitu, vnde quandoque casus præbet, ut in vna audientia, supra tercentum & quatuorcentum citationes legantur, super quibus est interloquendum, adeòvt videatur opus penè impossibile humanis viribus; Atque in feria quinta, in qua iste labor cessat, dum neque informationes, neque audientia habentur, Locum tenentes maiorem laborem, maiusque fastidium subire coguntur, dum interueniunt in plena Signatura iustitiæ, reddituri rationem, de eorum decretis, & prouisionibus, à quibus succumbentes appellent, vel recurrant, ita patiendò quemdam continuum sindicatum; Atq; ex his prouenit recta, & celer iustitiæ administratio, & causarum expeditio, quæ ad proportionem magnarum Ciuitatum, magnorumque Tribunalium, est magna.



De Thesaurario Generali, eiusque Tribunali.

S V M M A R I V M

- 1 **D**E origine, & munere huius officialis.
- 2 De eius facultatibus, & iurisdictione in Statu Ecclesiastico.
- 3 Habet curam, & administrationem locorum montium, & de Congregationibus, quibus præsidet.
- 4 De Auditore Thesaurarij.
- 5 De iurisdictione, & facultatibus extra Statum.
- 6 De usu sportularum seu propinarum.
- 7 Est officium venale, & quibus honoribus potiatur.
- 8 De eius vacatione, ac etiam de existimatione, & prærogatiuis.
- 9 Procedit regulariter cum processu executiuo, & summario.

D I S C. XXXV.

In eodem discursu, qui in præcedenti enunciatur, agendo de Cardinali Camerario A, enunciatus est iste officialis, qui antiquiori tempore, facti potius, quàm iuris minister erat, idest custos ærarij B, illam gerendo figuram, quam hodie facit in Vrbe ille publicus, ac probatus campfor, qui Camerae Depositarius nuncupatur, utpote retinens in eius banco pecunias Camerae, seu fisci, depositas, & conseruatas, ad Papæ, eiusque officialium dispositionem; Isteq; depositarius, idem Thesaurarij nomen quoque sortitur, cum adiecto secreti, ad differentiam huius Thesaurarij, qui generalis appellatur, utpotè iudex & superior omnium aliorum, qui eandem nuncupationem habent, etiam per prouincias, in quibus, & præsertim in illis, Marchiæ, Æmiliæ, Vmbriæ, & Patrimonij, & in alijs, illi qui, siue sub titulo appaltus, siue sub altero administrationis, redditus, ac prouentus colligunt, idem Thesaurario-

rum

A. supra disc. 11.
B. Vestr. in praxi lib. 2. cap. 3.

rum vocabulum sortiuntur, cum subordinatione tamen huic officiali, qui propterea generalis dicitur; Eiusque munus hodie potius iuris & intellectus, quàm facti est, cum sit iudex, ac director omnium reddituum, ac prouentuum, & emolumentorum Papæ, eiusque vtriusque fisci, Pontificij, & temporalis, adeòvt, adinstar Auditoris Camerae, mixtam, seu vtramque habeat iurisdictionem, ecclesiasticam, & laicalem, dum etiam Apostolici collectores spoliatorum, & fructuum, Ecclesiarum seu beneficiorum vacantiũ, aliorumque iurium, pertinentium ad fiscum merè ecclesiasticum seu pontificium in omnibus catholici Urbis partibus, in quibus Collectores adsunt, eidem in hac parte subordinati sunt, estque illorum iudex appellationis, vel recursuum, in ijs tamen causis, & negotijs, quæ interesse Camerae seu fisci percutiant; Eius autem facultates ac iurisdictione nimiam amplitudinem receperunt sub Sixto V. C, ideoque non mirum, si antiquiores Practici, earum notitiam non habuerunt.

In Statu itaque ecclesiastico immediato, est collector generalis spoliatorum, ac fructuum ecclesiarum, & beneficiorum vacantium, aliorumque prouentuum, & emolumentorum cameralium, vnde propterea ipse deputat subcollecto res in singulis diocesisibus; Ac etiam est iudex ordinarius primæ instantiæ omnium causarum, in quibus Camera, siue vterque fiscus ecclesiasticus, & temporalis, interesse habeat, tam immediatum, ac directum, quàm etiam indirectum, ac mediatum, dum ista præcæteris est fisci prærogatiua, ut siue sit actor, siue reus, siue eius interesse sit directum, ac immediatum, siue mediatum, ac indirectum, omnia trahit ad eius forum, seu iudicem, qualis est iste officialis in prima instantia, in qua cumulatiuam quoque habet iurisdictionem Camerarius, qui eam exercet per Auditorem, per quem aliqua parua reliquia antiqui magni huius Tribunalis Camerarij exercentur, cum præuentione inter eos, eo modo, quo generaliter contingit inter eos iudices,

C. Confit. 100. Sixti V.

& Magistratus, qui in eodem loco, cumulatiuam habeant iurisdictionem; De facto tamen, maior est causarum cognitio, quæ fiat ab isto officiali, eiusque Tribunali, præsertim vbi de directo, ac immediato interesse Camerae agatur.

Non solum autem hanc administrationem forensis, seu iudiciariam habet, in qua dictam cumulatiuam habet quoque Auditor Camerarij, atque vtriusque est iudex appellationis, & recursuum Tribunal Camerae, ut in eius rubrica superius aduertitur D; Sed etiam æconomicam, ac omnimodam habet primariam administrationem, & curam, quoniam ipse (ut insinuatum est) deputat subcollectores Apostolicos spoliatorum, aliorumque iurium fisci ecclesiastici in Ditione temporali Ecclesiæ; Ac etiam in eadem deputat fori, Thesaurarios, aliosque ministros & officiales fisci temporalis, quãdo, nullo sequuto appaltu, nomine Camerae administrationem contingat, siue ipse ex commissione Papæ, eiusque vice, concedit appaltus, omniaque alia gerit, quæ Camerae Apostolicæ administrationem concernant, etiam vbi de nouis gabelarum impositionibus siue de iam impositarum suppressionibus, vel extinctionibus agatur siue de nouis Montium erectionibus vel de illorum extinctionibus, adeòvt in hoc principatu, Procuratoris fisci, seu Quæstoris generalis, figuram gerat.

Eidem quoque commissa est, cura, & protectio, ac administratio Montium, vnde propterea vbi agatur de nouis erectionibus Montium cameralium, ac etiã Baronialium, vel Communitatum; Siue de eorundem, iam erectorum, commercio, & contractatione, inter priuatos, per resignationem, vel per attergationem, siue per translationem de vna persona in aliam, E omnia fiunt per eius organum & cum eius auctoritate, ipseque desuper concedit literas patentes; Ac propterea dicitur caput illius Congregationis, quæ Montium appellatur; Ac etiam alterius quæ dicitur Computorum, in qua redduntur ac discutuntur computa, seu rationes Appaltatorum, aliorumque officia-

P. 2. Relat. B b 2 cia-

D. supra disc. 33.
E. de his locis montium agitur tit. de Rgal. à disc. 23. ad 42.

cialium, & administratorum Camera-
lium; Et est etiam caput, & iudex Con-
gregationis Baronum, vt supra de huius-
modi Congregationibus agendo habe-
tur. F

Et vitra præmissas Congregationes,
quibus præsidet; Aliam qualibet hebdo-
mada propriæ domi habet, constitutam
(ipso Præsidente) ex Aduocato, & Com-
missario Cameræ, & ex duobus maiori-
bus Ratiocinatoribus, qui Cõputistæ ap-
pellantur; Ac etiam, pro negotiorum qua-
litate, cum interuentu aliorum inferio-
rum ministrorum Vt (ex.gr.) sunt, Sollici-
tator Cameræ; Et Substitutus Commis-
sarij, & quandoque etiam ipsius Thesau-
rarij Auditor, tractando in ista Congre-
gatione negotia currentia, ad eum dica-
tur quædam Congregatio ordinaria, seu
præparatoria illius magis generalis Cõ-
gregationis, quæ Computorum dicitur,
iuxta illam proportionem seu distinctio-
nem duplicis Congregationis, quæ ha-
betur supra agendo de Congregatione
Fabricæ S. Petri.

In ijs autem, quæ concernunt forum
contentiosum, ac determinationem cau-
sarum in forma iudiciali, Regit hoc Tri-
bunal, partim per se ipsum, sed pro ma-
iori parte per eius Auditorem, qui spe-
ciem Vicarij generalis Episcopi habere
videtur, siue Locumtenentis, eo modo
quo disc. præcedenti de Locumtenentibus
civilibus Auditoris Cameræ dictum est;
Cum maiori tamen dependentia, dum ip-
se met Thesaurarius, pro eius libito, at-
que ad eius nutum, hunc deputat Audi-
torem, eo modo quo facit Auditor Ca-
meræ de Auditore priuato seu dome-
stico.

Extra verò Statum ecclesiasticum im-
mediatum, est iudex secundæ instantiæ,
appellationis, & recursuum, à Collecto-
ribus generalibus, alijsque Apostolicis
Commisarijs spoliatorum, aliorumque iu-
rium fisci pontificij, in ijs tamen, quæ
concernant iura fiscalia vsupra; Et sic
est iudex appellationis à Nuncijs, Hispa-
niarum, Portugalliæ, Neapolis, Floren-
tiæ, Taurini, & alijs, si qui sunt, in ijs quæ
ad collectoriam pertinent, vnde propte-
rea in hoc genere causarum, Tribunal

Camæræ remanet iudex tertiæ instantiæ,
ab ipso scilicet Thesaurario, qui est iudex
secundæ.

Habetur in hoc Tribunali (fortè ma-
gis quàm in quocumque alio) ille spor-
tularum seu propinarum, vsus, vel abu-
sus, de quo in iudiciorum sede magis ac-
tum est G; Ibiq; insinuat quod nul-
la dignosci videtur probabilis differen-
tiæ ratio, cur Auditor Cameræ, qui ex
eodem titulo oneroso, officium habet,
maiori causarum, ac negotiorum mole
præssus, quatuor Locumtenentes seu Au-
ditores habeat, ab ipso stipendiatos, ab-
sque vilo vsu sportularum, & non debeat
idem praticari in hoc Tribunali, & in
altero Camerarij, in quibus etiam ma-
gis damnabilis habetur vsus participatio-
nis pœnarum seu incamerationum, ob
ibidem insinuata inconuenientia.

Pari passu istud officium ambulat cū
præmissis Auditoris Cameræ, quod scilicet
est etiam venale eiusdem valoris scu-
torum quinquaginta sex millium auri
stamparum, ista exequatione moderno
tempore introducta sub Alexandro VII,
dum prius pretium istius officij erat scu-
torum sexaginta millium monetæ; Atque
pariter, pro frequentiori praxi, (quæ ta-
men in hoc sæculo, sub breuissimo ponti-
ficatu Leonis vndecimi habetur inter-
rupta) vt ad illud assumatur vnus ex Cle-
ricis camæræ; Eisdemque honoribus ac
prærogatiuis iste officialis potitur, sicuti
Auditor, adeum in omnibus functioni-
bus, secundum, seu mediatum occupet lo-
cum, etiam supra Patriarchas, & Archie-
piscopos; Istique officiales maiores habent
à Cardinalibus & ab Oratoribus Princi-
pum, alijsque Magnatibus honorificos
tractatus, qui non conceduntur Patriar-
chis, & magnis Archiepiscopis actuali-
bus; Ac etiam exempti sunt, ab illa du-
ra, nimiumque incommoda seruitute ob-
sequij, vulgò *corteggio* Cardinalium, &
Oratorum Principum, quibus generaliter
alij Prælati subiacent, excepto Guberna-
tore Vrbs, qui maiori potitur exemptione,
dum isti duo, licet sint maiores, ac pri-
marij Curie officiales attamen hoc obse-
quium præstant illi Cardinali, qui est pri-
mus, ac fiduciarus Papæ minister, cui
Car-

G. tit. de iudic. disc. 39.

Cardinalis nepotis nuncupatio congruit,
de quo superius quoque actum est. H

Est pariter officium vacabile, per mor-
tem naturalem, vel per promotionem ad
8 Cardinalatum, cuius dignitati iste gra-
dus nimium proximus reputari solet, eo-
dem modo quo de dicto alio officio Au-
ditoris Cameræ insinuatum est; Atque
ob hanc maiorem administrationem ne-
gotiorum cameralium, & ab eis depen-
dentium, vnde propterea frequentius
magisque fiducialiter tractat cum Papa,
dictoque eius primo ministro, de facto
est officium maioris existimationis, quàm
alterum Auditoris; Ille siquidem habet
audientiam Papæ, dictique Cardinalis
primi, ministri semel in hebdomada; Iste
verò bis, statutis diebus, mercurij, & saba-
ti, ac etiam frequenter extraordinariam,
iuxta negotiorum contingentiam.

Ex amplis facultatibus, quæ sibi per
enunciatam Sixti V. Constitutionem at-
tributæ sunt I, procedit etiam cum
9 processu sumario, & exequutio, adeum
eius sententiæ & decreta, suspensiuam appel-
lationem non admittant ac propterea quã-
do ab eis appellatur ad Tribunal Cameræ,
ab isto regulariter committi solet appel-
latio ad solum deuolutiuum cum clausu-
la seruata forma Quoties nullitatis, vel
iniustitiæ ratio; aliter non suadeat, vt
agendo de dicto Tribunali Cameræ ad-
uertitur.

H. supra disc. 6.

I. dicta const. 100. Sixti V.

L. supra disc. 33.



De Gubernatore Vrbs, eiusque Tri-
bunali.

S V M M A R I V M.

1 D E origine huius officij remissuè, &
de eius prærogatiua.

2 Est Magistratus secularis, & quam
iurisdictionem habeat cum Clericis,
& ecclesiasticis.

3 De audientia quam habet à Papa.

4 De modo cum quo incedit per Vrbs.

5 De eius Locumtenente civili.

6 In quo propriè versetur munus Guberna-
toris.

7 Magis inuigilandum est ne delicta com-
mittantur, quàm vt commissa puni-
antur.

8 De Locumtenentibus criminalibus, & alijs
ministris.

9 De Congregatione quam tenet, Qui inter-
ueniant, & quid in ea agatur.

10 Quas partes soleat in his gerere Papa.

11 Laudatur rigor, & de rationibus.

12 Quare in Vrbe & Statu Ecclesiastico iu-
stitia bene administratur præsertim
in criminalibus.

13 De eadem commendatione rigoris, & ali-
quarum exorbitantiarum, quæ refe-
runtur in ista materia criminali.

14 Quare de stylis, & de alijs ad hanc ma-
teriam spectantibus non agatur.

15 Quod pro maiori parte procedatur cum
bannimentis.

16 De visitatione carcerum quam facit Gu-
bernator.

17 De eius iurisdictione intra districtum, &
que agat.

18 Commendatur vsus exploratorum.

D I S C. XXXVI.



In eadem insinuata Ru-
brica Cardinalis Camerarij, de isto quoque officia-
li, eiusque origine, men-
tio habita est; Inter om-
nes etenim Curie officia-
les, & Prælatos, post Cardinales, ipse primū
occupat locum, ob enunciatam figuram
Vicecamerarij, vnde propterea in publi-
cis, ac solemnibus functionibus Papæ,
præcedit etiam Regum, & Principum
Oratores, ac Pontificis nepotes, aliosque
Magnates qui Solij prærogatiua potiun-
tur.

Est autem istud officium manuale, ad
Pontificis nutum amouibile, eiusque mu-
nus consistit in sæculari gubernio Vrbs,
2 vnde propterea dicitur magistratus sæ-
cularis, qui iurisdictionem non habet cū
clericis, alijsque personis ecclesiasticis,
iuxta

F. supra disc. 28.